


05

A

247





Q. D. B. V.
DISPUTATIO THEOLOGICA

De
Causa Materiali,
SS. THEOLOGICÆ

Quam
Juvante DEO

SUB PRÆSIDIO
VIRI

Magnifici, Summe Reverendi, Amplissimi, atq; Excellentissimi

DN. JOH. DEUTSCHMANNI,

SS. Theol: Doctoris, ejusdemq; Prof: Publ: longè
celeberrimmi, Alumnorum Electoralium
EPHORI gravissimi,

DN. Patroni, Præceptoris ac promotoris sui omni obser-
vantia cultu æternum de venerandi,

In Almâ Leucoreâ
sistet

MICHAEL AUGUSTINI

Sol. Hung.

ad Diem 4. Julii Ann. 1673.

In Auditorio Majori.



WITTEBERGÆ,

Literis MEYERIANIS RELICTÆ VIDUÆ.

Faint, mostly illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. Some words are difficult to discern but appear to include 'THEOLOGICA', 'MATERIA', 'THEOLOGIC', 'UNIVERSITÄT', 'HALLA', 'ISAALE', 'BIBLIOTHEK', 'LANDESBIBLIOTHEK', and 'MICHIEL ANTONI'.



05 A 247



DE
CAUSA MATERIALI
SS. THEOLOGICÆ.

Thesis I.

1.

Hucusq; de principiis productivis egimus, Efficiente videlicet & finali Causa, nunc ad constitutiva Theologiae principia, nimirum ad Materiam & Formam, quæ communiter Essendi principia nuncupantur, & hic Essentiam Theologiae præ se ferunt, ord. ne pergitur. Materiam vulgo distribuunt in Materiam ex qua, circa quam, & in qua, quam vulgatam distinctionem ad generalem Theologiae considerationem accommodare pla. er. Licet enim hæc distinctio magis vulgata sit, quam accurata, nec ἀκριβής, vel in rigore cunctis objectis applicari possit, tamen ἀναλόγως non inconvenienter Theologiae naturam generaliter explicare novit. Sic igitur Thesis Prima: *Materia ex qua Theologia sunt principia & principia; illa sunt oracula divinitus revelata, hæc communiter Articuli fidei nuncupantur.*

2. *Oracula divinitus revelata continentur in Scriptura S. quæ propterea dicitur (1) principium fidei, vel credendorum, aut etiam omnis Theologica cognitionis. (2) Doctrina, vel etiam Theologiae fundamentum ex illo Eph. II. 20. (3) Medium vera religionis, vel omnis salvificæ cognitionis. (4) Norma, vel regula dogmatum. (5) Fons & origo cælestis veritatis. Licet autem oracula divinitus revelata, vel ipsa Scriptura Sacra circa plura ver-
leatur objecta, qualia sunt historica, naturalia, moralia, civilia, economica, artificialia; item præcepta, promissa, comminationes &c. specialiter tamen Articulus fidei, vel capita Theologiae purioris intendit & attendit. Et hæc oracula divinitus parafacta, fidem orthodoxam, vel Theologiam veram concernentia, sunt alpha SS. Theologiae, cum propterea dogma quoddam in SS. Theologia
A propo-*

DE GAUSA MATERIALI

proponatur, quia divinitus in scripturis revelatur, aut per verba, vel ex verbis scripturæ demonstratur.

3. *Articuli fidei pariter ad Theologia constitutionem referuntur (1) quia tanquam principia Theologiae principia consequuntur, ex iisdem deducuntur, & ad Theologiae constitutionem referuntur. (2) quia materialiter ipsam Theologiae constitutionem, ingrediuntur. (3) quia positis omnibus articulis fidei, cum fundamentis suis, ponitur ipsa Theologia, remotis autem articulis fidei, removeretur etiam ipsa Theologia.*

4. *Alii quidem dicunt, quod Materia ex qua Theologiae sint Theologicae veritates, alii vocant Mystera fidei, alii materiam hanc aliter nominare solent. Sed alius loquendi modus, unus autem loquendi scopus, unum est objectum. Discrepantia reperitur in verbis, sed in rebus vera convenientia deprehenditur. Nam Theologicae veritates vel considerantur à priori, qua ratione prima veritas in divina revelatione, conspicitur; vel à posteriori, sic orta rerum Theologicarum veritas in articulis fidei consistere dicitur. Sic etiam Mystera fidei vel fundamentaliter considerantur, nim. quatenus in oraculis divinis fundantur, cum oracula divinarum revelationum etiam certo modo mysteria dicantur; vel formaliter, quatenus ipsa capita Theologiae revelata notant, & sic articuli fidei nihil aliud sunt, quam mysteria fidei, qua ratione nihil diversum à thesi nostra dicitur.*

Antithesis.

1. *Circa thesim hanc probare non possumus nonnullorum Scholasticorum sententiam apud Thomam p. 1. q. 1. art. 7. Cap. prolog. q. 1. Prolog. art. 1. concl. 5. &c: qui censent, simpliciter articulos fidei esse Theologiae principia. Sic enim habet Thomas d. 1. Dicendum, quod DEUS est subiectum huius scientiae. Sic enim se habet subiectum ad scientiam, sicut objectum ad potentiam, vel habitum: sicut homo & lapis referuntur ad visum, in quantum sunt colorata: unde coloratum est proprium objectum visus: omnia autem pertractantur in sacra doctrina sub ratione DEI, vel quia sunt ipse DEUS, vel quia habent ordinem ad DEUM, ut ad principium, &*
finem

SS. THEOLOGICÆ.

finem: unde sequitur, quod DEUS vere sit subiectum, scientia. Quod etiam manifestum sit EX PRINCIPIIIS hujus scientia, QUÆ SUNT ARTICULI FIDEI, quæ est de DEO.

2. Verum distiater principia secundum dici, & secundum esse: licet dicantur principia nonnullis, tamen articuli fidei potius in rei veritate principiata, quam principia sunt, quia sunt Theologica conclusiones, doctrinae Theologicae positiones, veritatis celestis assertiones &c: Dist. inter principia immediata & mediata: possunt equidem articuli fidei respectu questionum aliarum, ex articulis fidei deductarum, principia nuncupari, sed respectu Theologiae principia non sunt. Dist. inter membra, vel partes, & inter principia, seu fontes: articuli fidei non tam principia, seu fontes Theologiae sunt, quam ejus membra, vel partes; hinc etiam dist. inter principia materialia, vel materialium constitutionis, aut compositionis, & inter principia formalia, vel originalium deductionis: priori, non posteriori respectu principia vocari possunt. Et licet articuli fidei vulgo Prima credenda vocentur, tamen propterea non statim principia Theologiae sunt, cum hæc etiam principia credendorum esse debeant.

Thesis. II.

1. *Articuli fidei nihil aliud sunt, quàm capita doctrinae celestis, in verbo Dei patefactæ de his, quæ credenda sunt ad salutem eternam.*

2. *Fides, quæ dicitur hos articulos admittere, non est fides, quæ creditur, sed fides, quæ creditur, non tam salvifica, quam dogmatica, non tam justificationis, quam divinae revelationis, & christiane cognitionis, unde nonnullis potius Articuli Doctrinae fidei nuncupantur. Articuli dicuntur, quia non quilibet totam fidem infert, sed aliquam tantum fidei particulam affert. Dicuntur igitur Articuli ratione totius, quia sicut totum aliquod integrale per certos articulos, sibi convenientes, constituitur, ita quoque fides, vel doctrina fidei per hos articulos constituitur, componitur, & ad integrum esse perficitur: ratione sui, quia sicut articuli totum accurate distinguunt, ad se mutuo respiciunt, & tum distinctioni, tum resolutioni totius inserviunt, sic etiam articuli fidei sic inter se mutuum alunt respectum, ut totam fidei do-*

DE CAUSA MATERIALI

Doctrinam non modo constituent, sed etiam accurate distinguant, & in partes, ac partium particulas resolvant: *ratione vinculi*, quia sicut articuli corporales debito modo conjunguntur, & inter se conformiter copulantur, vel ut ex articulis digitorum, & aliorum objectorum videre licet, ita divinum prorsus est articulorum fidei vinculum, cum iustarum catenarum harmonicè non modo, sed etiam artificiosè cohaereant: de quoq; *ratione nostri*, quia sicut cognitio nostra per partes quasi procedit, & articulis, vel particulis cognitis totam cognoscitur, sic etiam tota fides, vel universa fidei doctrina, per articulos istos cognoscitur.

3. Alii vocant *Mysteria fidei*, cum fides, quae talis, in se *mysterium* sit, & humanam rationem transcendat. Item *Capita doctrinae revelatae*: *Capita doctrinae Christianae*, *Theologicae Veritates*, *Theologicae Conclusiones*, *Fidei Veritates*, Item *Credenda Loci Theologiae communes*, & passim alibi talia synonyma reperiuntur. *Richardus articulum fidei* describit, quod sit *indivisibilis veritas de DEO, nos arctans ad credendum*. B. D. König, quod sit *pars doctrinae caelestis de objecto aliquo spiritali credendo, scriptura canonice revelato, quae tali*. Secundum alios *Articulus fidei* dicitur *caput aliquod Theologiae, in verbo DEI revelatum, mysterium aliquod fidei proponens, credendum ad salutem aeternam*. Alii describunt aliter, uti passim videre licet. Ea, quae th. 1. notata, *Definitio* constat genere, quod *articuli fidei* sint *capita doctrinae caelestis*, & *differentia*, quae tum *materiale*, quod in verbo DEI patefacti sint *de credendis*, tum *formale*, quatenus credenda sunt ad salutem aeternam, & sic ad *praxin Theologicam* referuntur: vel etiam omnes causas comprehendit (1) *Causam Efficientem principalem*, DEI ipsam, cum solus Deus sit autor Articulorum fidei (2) *Causam Efficientem instrumentalem*, quae dicitur *Verbum Dei*. (3) *Causam materiale*, quod de credendis agant. (4) *Causam formalem*, quod esse totum articulum fidei consistat in *divina patefactione*, cum alia ratione nec sint, nec esse possint articuli fidei: cum *revelationem* sunt communes *historiae*, communes *assertiones*, videntur, *in epæ*, vel *absurdae conclusiones &c.* per *revelationem divinam* & fiunt, & semper manent *articuli fidei*. (5) *Causam finalem*, quod ad *salutem aeternam* respiciant. Anti-

Antithesis.

1. Errant autem hic multis modis ipsi *Papista* (1) dum statunt, *Ecclesiam* novum aliquem articulum fidei condere posse, ut *Scapleton*. relect princip. fid. contr. v. 5. quæst. 2. art. 4. p. 514. aut quod ultimò vel incendant, vel contendunt, *Pontificem Romanum*, novos articulos fidei condendi potestatem habere, quæ de causa *Leo X.* Pontifex in Bulla contra *B. Lutherum*, hanc orthodoxam *Lutheri* propositionem damnavit: Certum est, in manu *Ecclesie*, aut *Pape*, prorsus non esse, statuere articulos fidei. Sed *B. Lutherus* rectissime probavit hanc suam propositionem: Qui non habet potestatem promittendi, & dandi presentem & futuram vitam, is non potest articulos fidei condere. Fides est *Ecclesia* non effective, sed subjective, non à priori, sed à posteriori, non casualiter, sed finaliter. Fides est *Ecclesia* fundamentum, non *Ecclesia* fidei fundamentum. Hinc recte scribit *Thomas* lib. 4. dist. 17. q. 3. art. 1. & supplem. 1. quæst. 6. art. 16. Quia *Ecclesia* fundatur in fide & in Sacramentis, ideo ad ministros *Ecclesie* novos articulos fidei edere, aut edito remove, aut nova Sacramenta instituere, aut instituta remove non pertinet, sed hoc est potestatis Excellentie, quæ soli debetur *Christo*, qui est *Ecclesie* fundamentum.

2. (2) Multo minus dicendum est, Teneri quempiam credere id, cuius contrarium est re ipsa verum, si synodus, vel communis plurimum *Theologorum* consensus statueret esse de fide, prout fingit *Gregor. de Valent.* tom. 3. disp. 1. quæst. 2. pag. 5. Verum *Theologi* sunt ministri, non magistri fidei, sunt fidei testes & doctores, non antistites, vel auctores. Et multitudo vel errantium, vel fallentium, non parit errori patrocinium. De fide verum est, quod *Deus* dicit, non quod homo fingit.

3. (3) Omnium minime verum est, quod *Tol. tuentum Gabr. Biel* ad dist. 25. libri tertii quæst. 1. dicitur, mereri posse simplicem, credendo *Episcopo* suo, aliquod hereticum dogma proponenti, *Instruct. Sacerdot.* lib. 4. c. 3. Verum nullum fidei, nullum meritum hominis in scriptura fundatur. Nec in heretico dogmate

DE CAUSA MATERIALI

meritum invenitur, cum sit damnabilis error; nec in Episcopo, tale dogma proponente, qui seductor, haereticus & Diaboli principium est, utpote quædam, seu spiritum erroris, sequitur; nec in fide haeretici dogmatis, cum potius sit æmula vel damnabilis superstitio, vel etiam incredulitas, cum fides verbo, sed incredulitas hominum figmento nitatur; nec in homine simplice, talem errorem apprehendentem, qui socius est erroris, socius culpæ, socius etiam pœnæ: Nec in ipsa doctrina, vel fide vera: Doctrina medium est ex parte DEI, fides medium ex parte nostri: neutra meritum.

Thesis. III.

1. Articuli fidei sunt vel puri, vel mixti; illi sunt meræ divinæ revelationis, hi vero non tantum divinæ revelationis, sed etiam naturalis cognitionis; illi ex solo DEI verbo depromuntur, hi quoque per naturam cognoscuntur; illi tantum creduntur, nullo modo sciuntur, hi suo modo creduntur, suo modo per scientiam cognoscuntur; illi sunt absolute, vel omni respectu mysteria, hi certo respectu mysteria, certo respectu naturæ documenta; illi tantum in Theologia proponuntur, hi suo certo formalitum in Theologia, tum in philosophia proponuntur; illi dicuntur *ἐπίστωες* tales, hi suo modo *δοκίμωτες* sic appellantur.

2. Hinc Articuli fidei puri nihil aliud sunt, quam capita doctrinae celestis, quæ ex sola DEI revelatione nobis innotescunt, & tantum ad salutem æternam creduntur; sed Articuli fidei, mixti sunt talia celestis doctrinae capita, quæ partim ex revelatione divina scriptura, partim ex lumine natura, nobis innotescunt, & quatenus è revelatione verbi DEI pendunt, ab hominibus cognoscuntur; prioris generis dogma de SS. Trinitate, de persona & Officio Christi, de Evangelio, prædestinatione, justificatione &c.: sed posterioris generis dicuntur doctrina de DEI Existentiâ, Essentiâ & Attributis divinis, de Creatione, Providentiâ &c.

3. Articuli fidei mixti non sunt (1) *nuda Theologia præcognita*, quasi tantum ad Theologiam, ut præcognita, referantur (2) neque *nuda Theologorum præsupposita*, quasi tantum à Theologis præsup-

SS. THEOLOGICÆ.

præsupponantur; (3) neq; *nuda Philosophorum placita*, quæ directe tantum à Philosophis exponantur. (4) neq; tantum *externa Theologia objecta*, quæ saltem extrinsecus afferuntur, in ipsa Theologia minime directe fundentur (5) sed potius *rem, realia, directa, interna, essentialia Theologiae capita* rectissime dicuntur, quia tum ipsum Theologiae fundamentum, tum multiplex ejus argumentum inferre deprehendantur.

Antithesis.

1. His contradicit D. Dreier. In der *Erört. præfat. l. 2. f. b.* ubi *distinctionem hanc*, tanquam *erroneam* rejicit, Dn. D. Calovii verba reprehendens, iisq; Theologorum aliorum sententias opponens. *Articuli fidei*, scribit Censor, juxta D. Calovium *alii sunt puri, alii mixti: illi ex solo DEI verbo petuntur, & tantum creduntur: hi etsi ratione aliquo modo constant, creduntur tamen solum, quatenus in scripturis extant.* Ita *articulus de persona & officio Christi sola constat fide: articulus de DEI existentia & Providentia creditur & scitur; creditur, quia verbo DEI; scitur, quatenus è principis rationis colligitur in Instit. p. 195. und wiederholet p. 232. 234. 237.* Hergegen *Articuli fidei non sunt natura noti, neq; colliguntur ex natura notis*, sagt Gerhardus in *Methodo Studii Theol. de Philosophia usu p. 101.* *Nullus articulus fidei, seu ejus objectum, ut fides est, naturaliter revelatum est, sicut Videlius (Calvinianus) lib. 2. c. 6. garrit, sagt D. Wellerus Diss. 4. in 1. part. Mas. t. b. 4. p. 103.* Und richten die Artikel des Glaubens nicht *per se* den Menschen *ad vitam aeternam*? So kan man nur auß natürlichen Kräften etwas in geistlichen Sachen erkennen und aufrichten/ das ist der *Pelagianismus.*

DE CAUSA MATERIALI

2. Verum si D. Dreier & totum B. Gerhardi, & B. W. Illeri
 contra eam aspexisset, facile contrarium in verbis ipsi anno-
 tare potuisset. Nam (1) B. Gerhardus l. d. loquitur non de na-
 tura, vel sub articulo fidei, tum purorum, tum mixtorum, sed
 de Articulis utriusq; generis cultura, vel βλαση, quod ut in con-
 firmatione fundamentis, quoad usum κατὰ οὐρανὸν distincte
 probari possit: κατὰ οὐρανὸν usus, inquit, in confirmatione
 questionum consistit. Sunt autem duo genera questionum in The-
 ologia. Quaedam concernunt SUMMA FIDEI MYSTERIA, su-
 pra omnem captum humanae rationis posita, tales sunt Mysterium
 Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis &c. Quaedam vero ita
 comparatae sunt, ut ad ALIQUALEM earum notitiam intellectus
 humanus assurgere possit per κατὰ ἐνοίαν, & discarsum ex inspe-
 ctione creaturarum deductum, ut potest esse DEUM, esse ipsum bonum,
 justum ac scelerum vindicem (illa dicuntur proprie πρῶτα, haec ἐπιση-
 τα) (2). B. Gerhardus loquitur de articulis fidei κατ' ἐξοχήν &
 proprie dictu, itemq; formaliter consideratis, sicut pergit: QVAE
 NATURALITER de DEO cognosci possunt, EATENUS (a) PRO-
 PRIE (b) fidei articuli non sunt, quia (nam in hac proprietate for-
 mali) articuli fidei non sunt natura noti, neq; (qua tale.) cog-
 nuntur ex natura nota, sed sunt aut principia divinitus revelata, vel
 conclusiones, ex illis deductae. Plura videntur d. l. (3) B. Wellerus
 latius etiam in ulenter adjecta restrictione monstrat, dum addit,
 Ut FIDEI EST, quod plura verba per se versa sint accipienda. (4)
 Articuli fidei per se, vel sub forma propria, vel natura sua, quate-
 nus sunt tales, omnino diriguat, & deducunt hominem ad vi-
 tam aeternam, sed sub alio respectu, quatenus natura cogno-
 scuntur, illud praestare non solent, nec valent. (5) Falsum est,
 quod inde sequatur, nos ex naturalibus viribus aliquid in spirituali-
 bus cognoscere, vel efficere posse, quae Pelagianorum est sententia:
 n. m. l. i. a, quae natura cognoscuntur, quatenus natura cogno-
 scuntur, non sunt spiritualia, sed animalia, non supernaturalia,
 sed naturalia, non fidei, sed notitia, non Theologia, sed philosophia,
 sub alio tamen respectu, seu formali, spiritualia fieri possunt
 nimirum, quatenus divinitus revelata sunt, & per revela-
 tionem

SS. THEOLOGICÆ.

tionem divinam creduntur, ac ad consecutionem æternæ vitæ referantur. Hinc *dist.* inter *sensum Calvinianum, Socinianum,* vel etiam *Syncretisticum,* & inter *sensum orthodoxum;* dicuntur articuli fidei, non *quæ tales,* natura noti, neq; *formaliter* ratione fidei, sed *materialiter* tantum ratione *objecti,* vel ipsius rei, quia doctrina de *DEI* *existentia, essentia, attributis, operibus* &c: quodammodo per lumen rationis cognoscitur.

1. Præterea *Scholastici Thomæ, Bonaventura* &c: & cum iis *D. Georg. Calixtus* *resp. 1. contra Magunt. lib. 70. seqq.* cum aliis *Syncretistis* idem asserentibus, adversus hanc thesin peccant, qui dogmata distinguunt in *fidem antecedentia constituentia* & *consequentia;* & *antecedentia* de *notitia DEI naturalis,* vel *motivis ad fidem,* profus ab articulis fidei sequestrant. Verum *dist.* inter *notitiam naturalem,* quæ secundum *B. Chemnitium,* *imperfecta, languida,* & in comparatione ad *notitiam revelatam,* revera *nulla,* nec articulum fidei constituere potest, & inter *notitiam revelatam,* respectu cuius juxta *Heb. XI. 6.* ad numerum articulorum fidei talia referuntur. *Dist.* inter *fidem dogmaticam* & *salvificam:* hanc multa dicuntur antecedere, quæ tamen ad illius constitutionem necessario requiruntur.

Thesis IV.

1. *Articuli fidei* vel sunt *fundamentales,* vel non *fundamentales,* illi fundamentum fidei concernunt, hi fundamentum fidei non attingunt.

2. *Fundamentales* articuli rursus distinguuntur in *primarios,* sine quorum *notitia* nemini *salus* conceditur, vel qui *salvo fidei fundamento* nec *ignorari,* neq; *negari* possunt. Hi respectu fidei fundamenti considerantur vel *antecedenter,* *causaliter* & *ratione productionis,* quia nonnulla dogmata quoad fidei fundamentum prærequiruntur & præsupponuntur, quæ quidem *intrinsecè,* vel *essentialiter,* ipsum fidei fundamentum non ingrediuntur, ad ejus tamen productionem necessario prærequiruntur; Tales sunt articuli de *DEI* *Existencia, Essentia, omnipotentia, omniscientia, veritate, æternitate, sanctitate, bonitate, justitia, voluntate,* de *SS. Trinitate, Patre & Filio & Spiritu S. de divina revelationis veritate, Jo-*

DE CAUSA MATERIALI

novicia & audentia, de lege & Evangelio, de Messia existentia, persona, officio, beneficiis, passione, morte, resurrectione, ascensione, de penitentia, de resurrectione mortuorum, extremo iudicio, inferno & vita aeterna &c: Vel formaliter, essentialiter, & ratione constitutionis, qui proxime, vel immediate fidei fundamentum inferunt, atque constituent, quales sunt universalis Dei Philanthropia, qua vult omnium hominum salutem, de Christi merito, vel universali satisfactione, de serua Dei vocatione, vel intentione universali nobis per fidem applicandi meritum, a Christo praestitum, de nostro per unicum Christi meritum, vera fide apprehensum, justificatione &c: Vel consequenter, materialiter, & ratione conservationis, qui scilicet ita fiduciam consequuntur, ut nisi vel adsint, vel accedant, ipsa fiducia statim evanescat, & perseverare nequeat, v. g. aeterna Dei duratio, iustitia Dei executiva, Dei sanctificatio, conservatio in fide, doctrina de Regno Christi, de Ecclesia, verbi & sacramentorum efficacia &c:

3. *Secundarii articuli fidei sunt, qui salvo fidei fundamento quidem ignorari, non tamen negari possunt, quales sunt doctrina de incommunicabilitate nominis Jehova, DEum infinitum, immensum, omnipraesentem esse, de Spiritualitate Dei, de proprietatibus characteristicis personarum, earumque distinctione, de communicatione naturarum & idiomatum in Christo, de omnipraesentia carnis Christi &c.*

4. *Non fundamentales articuli sunt, qui plane fundamentum fidei non concernunt, & illa solo fidei fundamento tam ignorari, quam negari possunt, quales sunt de creatione Angelorum ad imaginem Dei, de lapsu & aeterna reiectione malorum Angelorum, de hominis immortalitate ante lapsum, de Antichristo, de substantiali mandati integritate &c:*

Antithesis.

1. *Antithesis est eorum, quicum Apelle Marcionita apud Euseb. l. 5. c. 12. perinde ceulent esse, sive quis credat fundamenta salutis, in verbo Dei revelata, sive non, modo credat in Christum crucifixum, nec procul recedant ab hoc errore, qui sere cuncta dogmata pro creditu non necessariis venditant, & sic fidei salutisque*

SS THEOLOGIAE.

lutisq; fundamentam præciadunt atq; restringunt, ut in consortium hujus fundamenti tum Papistas, tum Calvinianos, admittere queant, & sic propiore ad syncretismum viam inveniunt.

2. Verum dist. inter fundamentum secundum dici, & secundum esse, καὶ Παντασίας hominum, & καὶ ἀλήθειαν dogmatum; non illud, sed hoc attendere debemus: dist. inter fundamentum meritorium & solitarium: Christus crucifixus est verum fundamentum, nimirum meritorium, sed propterea neutiqvam dicitur fundamentum solitarium: Dist. inter fundamentum adequatum, & inadequatum; non hoc, sed illud, in Ecclesia vera requiritur. Hinc etiã notandum, quod scholastici, & cum illis Becanus p. 2. Theol. Schol. tom. 2. tr. 1. c. 12. p. 197. notant, esse duo præcepta fidei, nim. unum affirmativum, quod obliget nos ad credendum mysteria fidei, quæ idcirco dicitur una copulativa; alterum negativum, quod obliget nos ad non dissentiendum à quocunq; objecto, in scripturis revelato.

Thesis V.

1. Articuli fidei tantum ex sacris literis deducuntur, non autem omnes expressis, vel explicitis verbis in scriptura traduntur, unde quædam καὶ τὸ πῆρόν exprimuntur, quædam καὶ τὴν ἀπόφασιν in scriptura, quoad dogmata fidei, reperiuntur.

2. Quod autem articuli fidei, quæ tales, ex solis sacris literis deducuntur, illud intelligendum est, non quoad deductionem ortam, sed primam, non quoad deductionis testimonium, sed principium, non quoad deductionem Ecclesiasticam, sed authenticam, vereq; divinam, non quoad deductionem symbolicam, sed canonicam. Nam quæ fit ex symbolis, aut aliis Doctorum scriptis, illa tantum est derivata, non autem primitiva, saltem testimonialis, non autem fundamentalis deductio.

3. Illud etiam multis probari posset, quod articuli fidei tantum ex sacris literis deducendi sint, quia probat id (1) articulorum fidei causa, quæ Deus est, qui solus est fidei totius, & omnium articulorum ejus conditor & autor: Deus autem nusquam nobis hominibus loquitur, quam in scriptura sacra: nusquam igitur, præter quam in verbo suo, fidem & ejus articulos re-

DE CAUSA MATERIALI

velavit. (2) *articulorum fidei natura*, quia sunt *mysteria*, sunt ὑπὲρ φύσιν, ὑπὲρ νόον, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ πᾶσαν κατὰληψιν πόσιτα; quo respectu nec ex natura nec ex creatura, nec ex ratione humana, vel ex industria humana cognosci possunt, nec ullam aliud naturale principium admittunt, sed *supernaturale principium*, quale Dei verbum, requirunt. (3) *Scripturae συμφωνία*, quia disertis verbis testatur, quod haec scripta sint, ut credamus, & credentes vitam aeternam habeamus Job. XX. 31.

4. Nec illud deniq; suis caret fundamentis, quo non sit necessarium, ut omnia creditu necessaria, vel omnes articuli fidei καὶ τὸ ἐπιτόν, vel quoad *explicitum verborum sonum*, in Sacris literis inveniantur (1) quia nec hoc expressis verbis in scriptura reperitur, quod omnes articuli fidei sint expressis verbis in verbo Dei consignati, aut quod necessario verbis explicitis consignari debueriat. (2) quia modus loquendi varius, vel distinctus rem ipsam non variat (3) quia non tantum ea, quae ῥητῶς exprimuntur, sed etiam ea, quae ἀγνωστικῶς traduntur, in sacris literis revera proponuntur. (4) quia *consequentia* non est rei negatio, sed potius rei demonstratio, cum primis si consequentia sit evidens sic nec existentia, nec evidentia rei negari potest. (5) quia Christus consequentiis fuit usus in demonstrandis articulis fidei v.g. quod sit Ὁ Ἐρχόμενος, vel *promissus mundi Messias*, illud è signis & miraculis discipulis Johannis, & aliis auditoribus demonstravit Matth. XI. 5. se Dei filium, & unum esse cum Patre, probavit ex operibus, quae faciat Pater Joh. V. 17. X. 38. Messiam non esse nudum hominem, vel solum Davidis Filium, sed etiam verum DEUM, ex eo demonstratum dedit, quod sit Dominus Davidis Matth. XXII. 45, sic etiam resurrectionem mortuorum ex eo probavit, quod DEUS dicatur DEUS Abraham, Isaac, & Jacob. DEUM autem non mortuorum, sed viventium esse DEUM v. 32. &c.

Antithesis.

1. Errant igitur cum aliis Sociniani, apud Smalz. contr. Schopper. de Trinit. p. 3. Quicquid ad salutem necessarium est simpliciter, id totum in literis sacris ad literam scriptum esse, necessum est. Item

SS. THEOLOGIÆ.

Item contra *Franzium* p. 65. contra *Græner. de Spiritu Sancto* p. 40

2. Verum dist. inter expressum κτὸ ῥῆμα, & κτὸ πρᾶγμα, quoad literam, & quoad sententiam: articuli fidei non tam in verbis, quam in rebus consistunt, & Dei res esse dicuntur: hinc attendendum est τὸ πρᾶγμα potius, quam τὸ ῥῆμα; quod igitur πρᾶγματικῶς in scripturis invenitur, illud ἀληθῶς ibidem proponitur: & si capita fidei talibus expressis verbis urgenda forent, qualibus id his vel aliis veritatis hostibus placeret, humana curiositas nunquam acquiesceret.

Thesis VI.

1. In articulis fidei, cognitu, crediturq; necessariis minimè requiritur hoc, ut non tantum ipsa credenda, sed etiam ratio necessitatis credendi, verbis disertis in sacris literis exprimat.

2. Nam requisitum hoc necessitatis urgetur (1) *citra divinam revelationem*, quia nec hoc disertis in scriptura verbis dicitur, quod nullus articulus fidei cognitu, crediturq; necessarius sit, nisi manifestis verbis id in verbo DEI significetur, quod sub ratione necessitatis credendus sit, adeoq; præter scripturam articulis fidei talis ratio necessitatis frustra tribuitur, vel affingitur. (2) *citra articulorum si ei conditionem*, quia credenda, quoad rem, necessario divinæ revelationis sunt, modus autem necessitatis rei præjudicii nihil afferre potest. (3) *citra fidei integritatem*, quia sic pleraq; dogmata, fundamentalia quoq; prorsus à numero credendorum excluderentur.

Antithesis.

1. Errant hic *Arminiani*, qui in *Apolog. Exam. præfat.* p. 7. scribunt, quod ea, quæ scriptura eisdem verbis necessaria esse dicit, aut quæ necessaria esse, per evidentem, & sole clariorem, omnibusq; obviam, consequentiam constat, pari religione asserant, ne quidem, si nihil præter ea, quæ scriptura ἐπιτῶς necessaria esse docet, asserere audeant.

2. Verùm cum *Sociniani* fidem in legem, & doctrinam præceptorum tran mutant, unde præfat. *Apolog. c. 2.* necessaria dogmata vocant, quæ ex officio nobis in Evangelio Christi

DE CAUSA MATERIALI

praecepto necessario tenenda & facienda sunt, & fidei divinarum promissimum, obedientia divinatorum praeceptorum, & debita erga scripturas reverentia, eadem comprehendunt. Talis autem *metaphorice* in scriptura passim improbat, & quae legis sunt accurate distinguuntur ab iis, quae sunt Evangelii. Deinde dist. inter necessitatem ratione termini, & ratione objecti: nulla cogitatio, quod terminus necessitatis in omnibus fidei capitibus requiratur, sufficit ipsa divina revelatio, quae per se, quoad credenda, rationem necessitatis infert. Denique dist. inter evidentiam spiritualem, vel etiam literalem, & inter palpabilem; sufficit evidentia spiritualis, doctrinaria, vel literalis, talis autem evidentia palpabilis, & omnibus probabilis, nullo jure requiritur, nec etiam in aliis ulpam exigitur.

Thesis VII.

1. *Articuli fidei necessarii* nullatenus ab expressa traditione Symboli, quod Apostolicum communiter appellant, pendere dicuntur.

2. *Symbolum Apostolicum* in Ecclesia semper fuit magnae auctoritatis, tum utilitatis, adeoque nullam Apostolico Symbolo dicam scribimus, sed ei suam dignitatem tribuimus, plura verò, quam ipsi conveniunt, eidem tribuere non debemus. Plura de hac thesi *Dn. D. Calovius in Syncret. Calixt.* de hac thesi monuit circa *postulat. 1. p. 8. 9. 10. seqq.* ubi potissimum notanda veniunt, quae p. 10. recensentur, quod non queratur, An quomocumque, ad Symbolum Apostolicum revocari possint omnia credenda, aut num implicite tantum, & virtualiter eodem contineantur, ita ut si è latifundio scripturae Symbolum explicetur, omnes fidei articuli suo modo erui queant? &c. Sed id disquiritur. Utrum explicite, vel expresse omnia, quae credenda sunt, omnes fidei articuli, comprehendantur in Symbolo, prout id hodie in usu est? Hanc Syncretistarum esse sententiam, prolixè d. l. demonstratur.

3. Quod autem articuli fidei nullatenus pendeant à Symbolica traditione, patet (1) ex Symbolorum ortu, quia Symbola non habent immediatam ortum à DEO, sed tantum ab Ecclesia: fides

SS. THEOLOGIE.

des autem Christianorum à DEO, non ab Ecclesia pendet. (2) *ex Symbolorum statu*, quia Symbola tantum sunt fidei Christianæ testimonia, non autem principia, sunt Ecclesiæ traditiones, non autem divinæ revelationes. (3) *ex Symbolorum usu*, quia Symbolorum usus in certis fidei controversiis adhibitus est, adeoq; respectum, quoad fidem & fidei genuinos articulos; à posteriori saltem, non à priori habuit. (4) *ex Symbolorum objecto*, quia Symbolorum objectum magis particulare, quam universale fuit, unde patet ex inductione, tum Veterum, tum recentiorum Symbolorum, quod nullum Symbolum Ecclesiasticum omnes in universum articulos fidei comprehendat, quæ ratione nullum Symbolum, & consequenter nec Apostolicum, ita comparatum est, ut ex eius traditione tota fides, aut omnes ejus articuli pendere queant.

Antithesis.

1. Hæc *Antithesis* est multorum *Papistarum*, & ipsorum etiam *Syncretistarum*. D. Georg Calixt. in *append. der Wiederleg. A. 3. f. 2.* *Credenda comprehendantur Symbolo Apostolico simplicissime quidem, & prout cuivis homini adulto ad salutem sufficiunt: Resp. 1. contra Mogant. ch. 39.* statuit, universam Ecclesiam antiquam pro certo habuisse, quod credenda, quæ fidelibus faciunt, & ad salutem necessaria sunt, Symbolo comprehendantur. Idem sæpius alibi locorum asseruit.
2. Verum *dist.* inter comprehensionem *explicitam*, & *implicitam*: verum equidem est, quod non difficulter omnes articuli fidei possint ad Symbolum *implicitè* referri, sed *explicitis verbis* neutiquam in Apostolico Symbolo comprehenduntur.

Thesis VIII.

1. *Articuli fidei respectu Christianorum*, etiam *laicorum*, vel *simplicium*, non quoad *implicitam*, sed quoad *explicitam fidem*, cognitu, credituq; necessaria dicuntur.
2. *Implicitum & explicitum* aliquid dicitur multis modis (1) *ratione principii*, quando videlicet *implicitum* illud dicitur, quod in *causis & principiis* latet, *explicitum* verò, quod extra principia, vel causas patet. (2) *ratione objecti*, quemadmodum affectiones & species *implicitè* vel *generaliter*, in *objecto discipli-*

scipli-

DE GAUSA MATERIALI SS. THEOLOGICÆ.

disciplinari concipiatur, & ex eodem explicitè postea deducuntur, atq; distinctè per capita distincta proponuntur. (3) *ratione subjecti*, sicut accidentia communiter implicitè dicuntur in subiecto esse, quando non explicitè comparent, vel extrinsecus per certas operationes manifestantur. (4) *ratione modi*, quando modi rei connotantur implicitè, dum explici è non enodantur, neq; considerantur. (5) *ratione sensus*, quando verbis explicitis aliquid non proponitur, sed quoad sensum tantum in verbis contineri dicitur. (6) *ratione nostri conceptus, vel intellectus*, quando dicitur aliquid implicitū, quod in intellectu plane non concipitur, nec cognoscitur, adeoq; nulla ratione, quoad rem ipsam, in intellectu reperitur, qua ratione nec creditur implicitū imò cum iam mente nostra tale sit non Ens, non Entis autē nulla sit affectio, hinc neq; datur ejus cognitio, nec assensio, nec fiducialis apprehensio, qua ratione prorsus omnes fides sic negatur: hæc ultima significatio præsentis est loci: sic *implicita fides est non fides*, quia est *mera ignorantia*.

Antithesis.

1. Errant h. l. *Papiste*, qui *fidem implicitam*, quoad articulos fidei, simplicioribus postremo sensu sufficere nugantur, unde *fidem carbonariam* vulgo commendant, aut fidem suam in Ecclesiæ fidem resolvunt, adeoq; nulla ratione vel fidem ipsam, vel aliquid saltem fidei cognoscere contendunt, sed credere se fateantur, quod Ecclesia credit *Biel. 3. sent. dist. 25. not. 2. Azorius tom. 1. Institut. Moral. l. 8. c. 6. quest. 6.*

2. Verum *dist.* inter illud, quod *implicitum est rationi*, ita ut propter eminentiam ab eadem percipi nequeat *1. Cor. II. 14.* & inter *implicitum fidei*: nihil equidem humana ratio de fidei mysteriis intelligere, vel cognoscere potest, adeoq; *implicita fides* eidem semper manet, sed fides tamen ex verbo DEI talia semper actu nosse, vel credere debet.

Materiam sacrae Doctrinae semper amare
Convenit, ut Christi simus, & usq; DEI.
Nam sacrum Domini verbum Mystera tractat,
Quae virtute DEI commoda magna ferunt.
Haec AUGUSTINI studium probat exoptatum,
Pergat, & hinc fructus afferet Ipse Bonis!

Johannes Deutschmann/D.



O Nos felicet! Nobis DEUS Ipse revelat,
Quae credenda mihi, quae facienda tibi.
Ejus praeterea Verbum, credendi singula vires
Praebet, & in nobis hoc facienda facit.
Hinc tibi Laus celebris debetur, Amice suavis,
Quod Tu jam Fidei dogmata tanta doces.
Gratalor huic facto, DOMINUS det prospera fata!
Atq; brevi donet premia digna Tibi!

Gratulab. haec dabet
honoratis. suo Dn. Convectori

M. Georgius VVagnerus,
Fac: Phil: Adj:



M
C
N
Q
H
P

Johannes

.....

○
S
P
F
H
G
G
A
A

M. Georgius



05 A 247

ULB Halle

3


004 206 487



1000







Q. D. B. V.
DISPUTATIO THEOLOGICA

De
Causa Materiali,
SS. THEOLOGICÆ

Quam
Juvante DEO

SUB PRÆSIDIO
VIRI

Magnifici, Summe Reverendi, Amplissimi, atq; Excellentissimi

DN. JOH. DEUTSCHMANNI,

SS. Theol: Doctoris, ejusdemq; Prof: Publ: longè
celeberrimmi, Alumnorum Electoralium
EPHORI gravissimi,

DN. Patroni, Præceptoris ac promotoris sui omni obser-
vantia cultu æternum de venerandi,

In Almâ Leucoreâ

sistet

MICHAEL AUGUSTINI

Sol. Hung.

ad Diem 4. Julii Ann. 1673.

In Auditorio Majori.



WITTEBERGÆ,

Literis MEYERIANIS RELICTÆ VIDUÆ.